



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Capvt Sextvm. De Resvscitatione Philosophiae Ionicae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129

de Teleſio ſentienti, atque eum vt amantem veritatis et ſcientiis vtilem, et nonnullorum placitorum emendatorem et nouorum hominum primum agnoſcentem. Maxime vero laudandum exiſtimamus Teleſium, quod Ariſtotelis principia conuellere auſus fit, quae res ei melius ſucceſſit, quam noui doctrinae naturalis aedificii exſtructio: quamuis dum attributa materiae in principia incorporalia mutat, ſuis telis, quibus contra Ariſtotelem pugnavit, confodi poteſt. Hoc vero licet in cauſa fuiſſe videatur, cur paucis arriſerit Teleſiana philoſophia, eaque paulo poſt parentis ſui fata exſpirauerit; ille tamen exemplum fuit nobile, et ad excitandos viros magni ingenii maxime vtile, vt maiori fiducia deſertis aridis Peripateticae phyſicae deſertis amoeniores campos quaerent, et proſcriptis expulſisque ſpectris lemuriſque, veriora et ſenſus implentia principia quaerent. Quibus ſe ducem praebuiffe, et animum addidiſſe, fatiſ gloriae eſt Teleſio.

CAPVT SEXTVM

DE

REſVSCITATIONE PHILOſOPHIAE

IONICAE.

§. I.

Ionica ſecta cur depreſſa manſerit?

Inter omnes, quas Graecia tulit, ſectas philoſophicas nullam eſſe, quae iniquiori fortuna uſa eſt, quam Ionicam, nemo hiftoriae philoſophicae ignarus eſt, vt id neſciat. Quamuis enim ſummos et ingenio admirabiles viros Thaletem, Anaximenem, Anaximandrum, Anaxagoram, Diogenem, Archelaum protulerit, quorum memoria vel hoc vno nomine venerabilis eſſe debet, quod ſepultum ſuperſtitionis tenebris orbem philoſophicum a praeeudiciis liberauerint, et rebus naturalibus primi omnium lucem aliquam accenderint; mature tamen deſiit, et inter Graecos neminem inuenit, qui laudabile inſtitutum continuaret, lumina tantorum virorum augeret, et quod in aliis ſectis factum, perfectiorem eam redderet et illuſtrioriorem. Quanquam enim in Clementis Alexandrini vitae hiftoria traditur, habuiſſe eum Ionicum quendam praeceptorem; in *antecedenti* tamen Tomo obſeruatum eſt, fruſtra hoc nomen ad ſectam Ionicam referri. Et PLVTARCHVM quidem cum in libello *de Placitis philoſophorum*, tum alibi, et poſt eum Pſeudo-ORIGENEM, quorum veſtigiiſ ex recentioribus inſtitere SCIPIO AQVILIANVS et THOMAS STANLEIVS, philoſophum *Ἰωνῶν* Ioni-

Ionicorum διατύπωσιν nobis dedisse, ex iis, quae *Tomo primo p. 464.* de hac secta diximus, notum est. Verum hi Ionicam physiologiam narrando tantum exposuerunt, nec ad philosophiam ipsam, sed eius historiam modo referendi sunt. Et mirari quis forte possit, qui euenerit, ut philosophica haec secta, nec adeo mala in se, nec curiositate philosophorum indigna, inter Graecos pariter et recentiores neminem inuenit, qui isti philosophandi viae insistere, et Ionicorum philosophorum placita incrustare, vel emendare quoque, et ex parte excolere conatus sit, cum aliae tamen Graecorum sectae hac fortuna usae sint, quae in rerum naturalium inuestigatione longe infra dignitatem et acumen Ionicae sunt; e. g. Pythagorica, quae pneumaticam et metaphysicam partem physicae miscendo multo deterius philosophata est de rerum naturalium causis, quam Ionica. Verum historiam philosophiae huius et temporum istorum, quibus intercidit, consulenti res omnis erit apertissima. Nempe, ut taceamus, ipsam regionem peregrinam, et Athenis nimis distantem, in causa fuisse, ut citius negligeretur, praesertim ubi Anaxagoras vrbe eiectus est, duae potissimum causae concurrisse videntur, cur omissum et suppressum fuerit philosophiae Ionicae studium. Vna in suspitione atheismi quaerenda est, qua valde pressa est secta Ionica. Cum enim causam efficientem vel omitteret, vel plane obliuisceretur, et materialem tantum considerare naturae studiosos iuberet; impietas illi obiecta est. Quam licet tollere videretur Anaxagoras mentem rerum omnium fabricae adiungendo, non potuit tamen suspitionem eam omnem ex animis eicere, praecipue cum ob impietatem obiectam Athenis esset pulsus. Adeo vero periculosum erat Athenis sine numine philosophari, et res ipsa capitis periculo non carebat, ut merito inuisa et neglecta manserit philosophia Ionica. Quod praeiudicium recentiora tempora non exuisse, ex circumspectione constabit, qua usum esse Berigardum in ea philosophia in partes vocanda infra dicemus. Altera causa in scholae Socraticae studio et incrementis quaerenda est. Socrates enim, ut suo loco probatum, tametsi ex Archelai Ionici schola prodierat, philosophiam a coelo in terram deduxerat, neglectaque rerum naturalium consideratione ad moralem disciplinam et emendandum animum cuncta reuocauerat, quae res cum ob tanti viri existimationem valde probaretur, finem fecit scholae Ionicae. Quae vero ex Socratica schola emerferunt sectae academica, Peripatetica, Cynica, Stoica, (reliqui enim Socratici de naturalibus philosophati haud sunt,) ita suis philosophematis, nouitatis gratiam aucupantibus Graeciam occupauerunt, ut Ionicae nullus posset esse locus nulla memoria. Accessit conditorum istarum sectarum inuidia, qua veteres cumulabant, ut sua commendarent. Quamuis enim Ionicorum scrinia haud raro compilarent, ut laterent tamen plaga, Ionica philosophumena falso relata et corrupta refutare, quam quo

decebat modo explicare emendareque maluerunt, ut noui systematis ipsos solos maneret gloria. Id quod imprimis Aristotelem fecisse, eleganter recteque obseruatum est FRANCISCO PATRICIO ^a. Accessit his ex altero Graecanicae philosophiae fonte, qui ex magna Graecia auctore Pythagora scaturiuuit, noua caussa, suppressae physiologiae Ionicae. Ex eo enim promanans philosophia Eleatica, cum auctore Leucippo et Democrito nouum et naturae magis conueniens de rebus naturalibus philosophandi genus introduxisset, illatum ab Epicuro Graeciae, ipfisquae Athenis, et populariter magis differere de *Φαινομένων* naturae visum effecit, ut neglecta maneret physica Ionica. Ex oriente vero monarchia Romana cum non aliae de caussis physicis sectae philosopharentur, quam Platonica, Peripatetica, Epicurea et Stoica, Ionica fortuna noua uti non potuit, ipsorumque Romanorum imperatorum legibus non aliud philosophandi genus permissum est, qui uero priuata industria philosophabantur, Academicam potius incertitudinem eligebant, uel de rebus naturalibus plane non erant solliciti, ut a Cynicis factum: quae uero postea caput extulit Ammonii schola, cum omnes sectas supprimeret, et sola imperio potiretur, Ionicam quoque in puluere iacentem retinuit, ne surgeret. Quod fieri quoque non potuit, cum in uniuersum philosophorum orbem tyrannidem exerceret Aristoteles. Recentiori uero aetate cum resflescere inciperent literae, et philosophia Graecanica resuscitaretur, vigentes et in memoria conseruatae sectae, quales Platonica et Aristotelica fuere, tantum applausum nactae sunt, ut ex his scaturiginibus plerique sua arua irrigarent. Nec dubitandum, quin Ionicorum scriptorum inopia in caussa fuerit, cur recentiores eam neglexerint, et atheismi suspicio eam exosam reddiderit. Quae adeo inualuit et tam altas radices egit, ut cum Ionicae physiologiae renouatione Aristotelem debellare constituisset Claudius Berigardus, id adeo circumspecte, cauteque suscepit, ut nemo haecenus consilium hoc eius inspexerit, sed omnes eum inter Peripateticos numerauerint, adeo Aristoteli deuotos, ut impiis quoque eius dogmatibus frigidam suffunderet. Ast iniuriam illi fieri, et reuera resuscitasse illum Ionicorum physicorum placita, et, si non alio scopo, certe *κατ' ἀνδροπον* uelut meliora et tolerabiliora Aristoteli opposuisse, sequens tractatio faciet manifestissimum. Quamquam cum tam occulte et ambiguo dialogicae methodi sensu id fecerit, inde euenit, ut neminem haberet, qui uestigia eius premeret, immo ipse eius liber in quo hoc institutum persecutus est, fieret rarissimus, paucisque innotesceret, et a plerisque qui historiam philosophicam recentiorem tetigerunt, uel negligeretur, uel inter interpretes Aristotelis relatus, solo impietatis Peripateticae nomine recenseretur, et oppido pauca essent, quae de eo dicerentur. Diligenter itaque, quantum nobis licebit, uiri doctissimi magnoque acumine in hac philosophiae parte uersati historiam enarrabimus.

§. II. Vitae

a) Disc. Peripatet. T. III. BERIGARDVS Praef. Circul. Pif. I.

§. II. Vitae CLAVDII BERIGARDI historia valde haecenus manca fuit, vt vel ex paucis illis videre est, quae de eo congerere potuit P. BAYLE ^b. Quaedam nobis de eo, licet nec certa fatis, nec digesta narrauit *Naudaeorum* collector ^c, ex quibus comparatis cum ipsis Berigardi scriptis alio loco ^d, qualem licuit, Berigardi biographiam conscripsimus. Interea temporis autem cum elegantis eruditionis viri, PETRI NICERONII *Memoriae virorum literis illustrium* comparuissent ^e, et is a nonnemine ex posteris Berigardi ^f paulo pluscula de eo accepisset, vberiore dare Berigardi notitiam conatus est. Et tamen optandum, vt et plura essent, et certiora. Depingemus itaque eius scenam, vt possumus. Verum nomen philosophi praestantissimi fuit, Claudii Guillermet domini de Berigardo; patre is natus fuit Petro, philosophiae et medicinae doctore Molinensi. Natum fuisse anno MDXCII, olim tum ex indicio aetatis adscripto imagini Berigardi editioni Circulorum eius Pisanorum, quae anno MDCXLIII prodiit, praefixo collegimus, vbi LI annorum vir dicitur, tum ex *Supplementis Naudaeanis adiectis* ^g colligi posse monuimus, vbi anno MDCLIII annum aetatis LXII attigisse Berigardus dicitur: nihil autem pro certo definiuimus. Niceronio autem auctore constat, natum eum esse anno MDLXXVIII, XVIII Cal. Sept. Quod vbi verum est, nonagesimum aetatis annum attigisse Berigardum oportet. Ex epistola enim G. HIER. WELSCHII nostri ad Io. Andream Bosium XI Id. Nou. anno MDCLXVII scripta ^h certissimum est, non vixisse modo eo tempore Berigardum, sed iis quoque viribus floruisse, vt potuerit conferre codices Graecos, et amicis isto labore lubenter inferuire: quod vtrum de viro nonagenario verisimile sit, et an sine contrarii metu fidentum natali, quem designat Niceronius, Lectori expendendum relinquimus. Eo vero auctore quoque discimus, post studiorum diligenter magna cum laude absolutum cursum, cum et philosophiae et artis salutaris praecepta, et humanitatis literas, Graecamque linguam et μαθήματα accurate didicisset, in academia, quae Aquis Sextiis floret, philosophiae et medicinae laurea fuisse redimitum, anno MDCI. Haesisse tamen eum quoque diu oportet Parisiis aut discendi aut docendi causa, ex ipsius indicio liquet, ait, enim ⁱ, se ex Parisiensi academia in Pisanam accitum esse. Quaecumque autem in schola studiorum fundamenta iecerit, illud ex ipsis Berigardi scriptis manifestissimum est, philosophiae, cum veteris, tum recentioris, quae experientia obseruationum rerum naturalium causas inuestigare eo tempore coeperat, itemque historiae veteris literaturae, et quod WELSCHIVS in eo magnopere laudat, Graecae linguae atque eruditionis itemque matheos fuisse peritissimum. Quae doctrinae copia illum

Claudii Berigardi vita.

b) Dict. T. I. art. Berigardus.

c) p. 110 seqq. Additions p. 227 seqq.

d) In Germanico Hist. phil. opere T. VI. p. 714.

e) Tom. XXXI. p. 123 seqq.

f) Comite Nicolao Berigardo, a quo accepit Naudaeorum collector, et ab eo Niceronius.

g) pag. 227.

h) In Epistolis Reinesianis et Bosianis, p. 470.

i) Praef. Circ. Pif. II.

illum Catharinae, Lotharingiae principi, quae magno Hetruriae duci nupserat, ita commendauit, ut sibi a secretioribus epistolis Berigardum esse iuberet ^k, suspicamur quoque, cum artem salutarem profiteretur, valetudini principis curandae simul praefectum fuisse. Ei vero magnam de Berigardi doctrina opinionem fouenti, occasio inde enata est, Berigardum Mediceae domui commendandi. Id quod eo fecit successu, ut, cum in Pisana Academia cathedra philosophica vacaret, inter plures viros doctos, qui Parisiensem academiam eo tempore ornabant, vnus Berigardus ad subeundam hanc spartam anno MDCXXVIII euocaretur, demandata simul professionis mathematicae, et botanicae prouincia. In hac palaestra duodecim annis exercitatum se esse, ipse in *Dedicatione Circ. Pis.* ad Ferdinandum II, magnum Hetruriae ducem ^l scribit: idque factum esse magna nominis celebritate, et insigni Hetruriae principum gratia et fauore, ipse in omnibus, quas ad huius gentis viros summos, Ioannem Carolum, cardinalem, Matthiam, Leopoldum, Laurentium, et Carolum cardinalem scripsit, dedicationibus factus est. Cum vero doctrinae eius fama vndique esset celebratissima, a senatu Veneto ad amplissimum doctoris publici munus in academia Patauina anno MDCXL vocatus est, insigni octingentorum aureorum stipendio. Quam spartam tanta eruditionis copia ornauit, tantumque sui desiderium amoremque apud reipublicae Venetae proceres excitauit, ut cum in patriam redeundi spes affulgeret, illi an. MDCXLVI stipendium ad M. aur. summam augetur, idque, cum an. MDCLIII primarii professoris locum Fortunio Liceto fatis functo occuparet, ducentis adhuc aureis redderetur pinguius. Et in hac quidem studiorum palaestra vsque ad mortem perdurauit, a paschate tamen, cum cathedrae vacare incipiunt, Florentiam se cum familia conferre, atque ibidem aestiuare solitus est ^m, ut in frequentissima vrbe apud veteres patronos, eo lautiora haberet et commodiora studiorum priuatorum rite excolendorum otia. Id quod senio ingrauescenti eo iucundius accidit, cum filium haberet, paternae eruditionis haeredem, quem ob morum humanitatem et inseruendi promptitudinem valde extollit WELSCHIVS. Obiisse tamen oportet filium ante parentem, nec hunc alios habuisse liberos, si verum est, quod relatum NICERONIO, fratrem Ioannem Berigardum eius haeredem fuisse: at habuisse Berigardum nepotem Petrum, qui *Hippocratis Aphorismos* versibus leoninis comprehendit, testis est Naudaeorum auctor ⁿ. Obiit Patauii, si eidem viro docto fides est anno MDCLXIII, ex hernia vmbilicali, aetatis LXXXV anno. Ast quadriennio post, anno MDCLXVII, adhuc eum in viuis fuisse, ex WELSCHII, qui tum Patauii studiorum causa vixit, epistola constat, falsum fuisse Niceronium oportet ab eo, qui has illi memorias suppeditauit: id quod facilius viro cetera diligentissimo et accurato incerta narrantium fide accidisse, eius commentarios examinanti erit manifestum, sciuntque, qui huma-

nissimum

k) NICERON. l. c. l) Circ. I. m) WELSCHIVS l. c. n) loc. c. p. 227.

nissimum virum inter viuos norant. Vnde suspicamur, si viuendo annum MDLXVIII attigit, paulo serius eum natum fuisse, quam supra dictum. Quanta autem eruditionis Berigardianae existimatio fuerit, societas eruditorum academiae disfuntorum nomine nota, suo probauit iudicio, quae eum, vt ex GAUDENTII relatione scimus, albo suo adscripsit, et virorum, quorum summa est in republica literaria auctoritas, elogia satis ostendunt. Et inter Italos quidem summa eum in opinione fuisse, ipse nobis Berigardus, quamuis esset modestissimus, prodidit, laudato enim Laelii Mancini professoris iuris primarii, Paganini Gaudentii, professoris philosophiae, et Ioannis Baptistae Soncini atque Io. Baptistae Ruschii medicorum Pisanorum consilio, hos se, ait, praecipue viros cordatos permouisse, ne opus hoc exile suum in libros de coelo diutius in tenebris, quibus illud damnauerat, latere fineret, monuisseque, videri satis ingenuo scriptori, si placuerit tribus aut quatuor viris egregiis. Nec omittendae hic sunt censurae libris Berigardi praefixae, quamuis enim forsan a viris obscuris possint videri profectae, testantur tamen, quid de eo illi iudicauerint, quorum perspicaciae et fidei purioris doctrinae custodia fuit commissa. Inter quos Franciscus Bettotus, theologus primae sedis in academia Patauina logicus, circulum eius primum, *delineatum*, iudicauit, *peruenusta sapientiae arcana complectentem, ac tanquam solem radios orbi porrigentem, in quo nil impuri sit, immo qui ignorantiam pellat, Peripateticas veritates ab errorum caligine vindicet, noui veris delicias orbi praegeminet*. Similia habent censurae reliquae, plenae laudum doctrinae Berigardi, quibus eius in doctrina puritas et elegantia magnis encomiis extollitur. Quae si non id euincunt, quod Niceronius putat, perfecta illis Berigardum apologia purgari ab obiecto impietatis crimine, quod aliis et melioribus rationibus conficiendum est, ostendunt tamen, inter summos Italiae philosophos Berigardum fuisse numeratum. Nec minori admiratione apud exteros fuit Berigardi eruditio, quam hoc disticho eius imagini apposito laudauit Ioannes Iacobus Scharundaeus Solodoriensis:

*Ellipsi minima physici sollertis imago
Clauditur, aethereo mens nequit orbe capi.*

Maius pondus habet iudicium quod P. BAYLE ^p tulit, cui acutissimus philosophus, subtilitatis laude nulli secundus audit. Addimus his ex Germanis MORHOFIVM ^q, qui profundissimum in eo ingenium et iudicium agnoscit, et Circulos eius valde extollit. Neque his eius laudibus illorum magnopere obstant censurae, qui atheismo Peripatetico frigidam suffudisse Berigardum conquesti sunt: Vt taceamus enim, non denegare illos laudem ingenii et acuminis Berigardo, illud res ipsa, et locorum, quibus ista

o) Circ. III. Prooem. p) l. c. et Tom. III. art. Rufin. n. C. p. 101. q) Polyhist. Tom. II. p. 154.

ista agunt accusatores Berigardi, inspectio docet, paucos vidisse, legisseque Circulos eius, pauciores ad scopum scriptionis eius attendisse, paucissimos veram eius mentem fuisse assecutos. Edidit anno MDCXXXII ficto GALILAEI LYNCEI nomine *Dubitationes in dialogos Galilaei pro terrae immobilitate*, P. BAYLE et P. NICERONIO laudatas, quas tamen non vidimus. Maxime tamen nomen eius apud aetatis suae homines nobilitarunt, apud posteros autem impietatis suspicione obfuscarunt *Circuli* eius *Pisani*, liber inter rarissimos numeratus ^r, in quo disputationes eius circulares *Pisani* in libros *physicos* Aristotelis habitae exhibentur, et commentarius in eo suppeditatur longe doctissimus. Eum *Pisani* adhuc docens consignauerat, diuque tenebris amandatum supprefferat, sine dubio timens, ne trifulcum in caput suum fulmen prouocaret. Amicorum tamen, maxime collegarum *Pisanorum* exhortationibus permoueri se passus est, vt has meditationes suas *Vtini* superiorum permisso censurisque munitas anno MDCXLIII ederet. Inscrisit ab instituto et occasione scribendi: *Circulos Pisanos de veteri et Peripatetica philosophia, in quibus parte prima libros Physicorum priores, Vtini MDCXLIII parte secunda, anno locoque eodem edita, octo reliquos libros Physicorum, parte tertia, MDCXLVII vulgata, libros de Coelo, parte quarta MDCXLIII librum de Ortu et interitu, parte quinta MDCXLVII libros Meteorologicos, parte sexta libros de Anima MDCXLIII mira subtilitate et elegantia illustrauit. Vidimus, praeter hanc primam editionem, quam inter reculas nostras seruamus, alteram quoque *Patauii* anno MDCLXI editam ^s, et chartae typorumque nitore atque elegantia priori editioni *Vtinenfi* multum cedentem. Quas cum comparare inter se non licuerit, dicere non possumus, vtrum recentiori editioni vel additum aliquid sit, vel detractum: non dissimulamus tamen, suspectum nobis fuisse, quod in titulo auctor, qui tum in viuis adhuc supererat, hanc editionem *auctiorem et retractatiorem* vocauerit. Quis enim non videt, mutationem fuisse hunc librum in editione altera passum, et retractasse eius conditorem nonnulla, quae inuidiam illi creauerant. Primam ergo editionem in consilium partesque vocantes, quid de Aristotelica philosophia, quid de Ionica Berigardo fuerit visum, iam porro explicabimus.*

*Berigardi
consilium
philosophiam
naturalem
excolendi
quale fuerit?*

§. III. Recte vero de mente Berigardi circa vtrumque philosophiae genus disputaturis praefationes et introductiones auctoris ipsae, quas in *Circulos Pisanos* scripsit legendae sunt, quod qui vel facere nequeunt libro isto destituti, vel id laboris refugiunt, eos inepte et praeter rem de hac re disserere, minime mirandum, et vera causa dicenda est, cur aliam, quam fuit, opinionem viri docti Berigardo affinixerint, eumque inter detestandos atheismi Peripatetici incrustatores praeter rem meritumque eius retulerint, parcius ista obiecturi viro philosophiae laude clarissimo, ficas

^r) Vid. Cat. Bibl. Vffenbach. T. I. p. 763. Cat. VOGTIVS Catal. libr. rar. pag. 78. libr. rar. Io. LVD. BVMEMANNI p. 107. Ven. ^s) Vid. Cat. Bibl. Vffenbach. l. o.

fi eas introductiones, et totum librum, cum attentione et repetita, quam poscit, diligentia perlegissent, et ad circumstantias eius paulo curiosius respexissent. Ne itaque et nos offendamus, rem ex fontibus hauriemus suis. Et ante omnia quidem ex antecedentibus in memoriam reuocandum est, vixisse, et quod ex ipsius verbis collegimus, docuisse Berigardum ex oriente seculo XVII Parisiis, quo tempore euilescece coepit physicae Aristotelicae pretium, virique docti passim audebant Aristoteli per pulpita publica adhuc strepenti liberius obloqui. Quod vt luculenter explicemus, et vna fidelia duos dealbando parietes philosophicam historiam academiae Parisiensis ab initio seculi XVII ad id tempus, quo ad Pisanam cathedram Berigardus vocatus est, paulisper illustremus, memorandum hoc loco ducimus, sub auspiciis huius seculi, cum scholae reformatio esset suscepta, regia auctoritate mandatum quidem fuisse, vt libri logici et ethici Aristotelis praelegerentur iuuentuti, metaphysici autem et physici emendarentur. Inter regulas enim quas singulis facultatibus praescriptas fuisse ex tabulario academiae refert Io. LAVNOIVS^{f)}, hae quoque sunt, vt „primo anno interpretentur libros Aristotelis Logicos; secundo eius Physicam mane; post meridiem Metaphysicam; vt vero Aristotelis Disputationes aduersus veteres physicos, in quibus ingenii summa subtilitas „elucet, accurate examinentur, reiectis inanibus quaestiunculis, quas „olim barbari inuexerant, et ab humaniore politioreque seculo explosas „aspero durique homines non ita pridem redintegrare sint conati“. Haec eo tempore sancita sunt, quo certum ex supra dictis est, Berigardum iam doctorem philosophiae et medicinae renunciatum Parisiis haesisse aut docendi aut discendi causa. Quodcunque eligamus, licet prius magis cum verbis eius conueniat, necessario inde fluit, illum, cum se ob professionis medicae rationem naturae scrutandae dedisset, ad hoc examen librorum physicorum delatum occasionem habuisse veterum physicorum placita cum Peripateticis comparandi, et vtriusque partis systemata explorandi. Subministravit hoc viris multis eruditissimis ansam adiecitque animum, vt, in cuius verba hactenus iurauerant, Aristotelem de rebus naturalibus examinare, rationes ad trutinam exigere, de principiorum et conclusionum veritate disquirere, sicque paulo accuratius ad fundamenta physicae Peripateticae attendere auderent. Testem damus, qui eo tempore vixit SEBASTIANVM BASSONEM, qui in *Praefatione Philosophiae naturalis* lectu dignissima *, testatur, *laborauisse plurimos, vt veritatem quasi sepul-*

N n n 2

f) De Fortuna Aristot. in Acad. Paris. c. 15. p. 296.

ff) Prodiit liber elegantis doctrinae hoc titulo: *Philosophiae naturalis aduersus Aristotelem libri XII*, in quibus abstrusa veterum physiologia restauratur, et Aristotelis errores solidis rationibus refelluntur, a SEBASTIANO BASSONE doctore medico, cum indice locupletissimo. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica

veritas. Esse librum ex rarioribus obseruatur viri literatissimi, C. A. HEVMANNVS in *Consp. Hist. liter. optimae frugis* libro p. 315. et *Act. phil.* Vol. III. p. 939 seqq. vbi eius recensioem sistit, et Cl. Io. VOGTIVS in *Cat. libr. rar.* p. 75. id tamen praecipue de Geneuensi editione intelligendum, Elzeuiriana frequentius occurrit.

*) Totam fere exhibet LAVNOIVS l. c.

sepultam eruerent, ingentia saxa, quae viam praepediebant, vel submouisse, vel certe crebris disputationum ictibus valde concussisse, vt non difficile esset, ea remouere, atque via facili ad veritatem peruenire. Immo fuisse plures eorum, quibus complures Aristotelicae doctrinae falsitates paterent, easque non dissimulasse. Quia tamen Peripatetica philosophia publico senatus decreto iniuncta, regis auctoritate firmata, academiae Parisiensis consensu recepta fuit, nemo fere fuit, qui, quae inter amicos differebat, aut apud iuuenes disceptabat, publice proloqui auderet, donec anno MDCXXI, laudatus Sebastianus Basso, vir, vt iudicet LAVNOIVS acerrimi iudicii et scientiae maximae, in libro modo adducto signum quasi tolleret, classicumque ad debellandam Aristotelis philosophiam naturalem caneret. Et tamen verisimile est, eum Parisiis id ausum non esse, liber enim iste non in Gallia, sed apud Geneuenses anno MDCXXI. 8. ^t prodiit, postea in Belgio ^u ob insignem eruditionem recusatus. Quo libro prodeunte oculos hactenus coecutientes aperuit, quicquid de veritate rerum naturalium cogitare aptum erat, et imprimis artis salutaris quam ipse quoque Basso profitebatur alumni, aut curiosi spectatores erant pugnae ab acuto eruditoque viro inter Hippocratem, Democritum, Platonem, Anaxagoram, Empedoclem et inter Aristotelem institutae, aut acres iudices. Inter quos Berigardum fuisse, et professionis ratio, et studiorum similitudo, et scriptionis, quod postea expressit genus dubitare nos non sinunt, et patefaciunt, qua in parte Berigardus, qui vsque ad annum MDCXXVIII magna eruditionis fama Parisiis vixit, fuisse censendus sit. Neque dubium, honestam virum doctum aemulationem ad similia audenda accendisse, cum videret Bassonis exemplum excitasse nonnullos apud Parisienses, vt Aristotelicae philosophiae bellum indicerent. Id quod paulo post, nempe anno MDCXXIV factum est, quo Ioannes Bitaudus, Antonius de Villon et Stephanus de Claves publicas theses Paracelsicis, Cabbalisticis, et Peripateticis dogmatibus physicis oppositas ^v, ediderunt, quorum quidem impetum et facultatis theologicae censura, retardauit, et senatusconsultum Parisiense compefcuit, vt allatis documentis publicis fufe narrat LAVNOIVS ^w, impedire tamen non potuit, quo minus quibus aes circa pectus triplex erat, intrepida pugna Aristotelis philosophiam aggredi auderent. Quod tamen qui aperto Marte fecerunt, impune vix ferre poterant, saltem a certamine ab inuidia quae inde exoriebatur, deterrebantur: id quod memorabili Petri Gassendi exemplo nouimus, qui cum eodem anno *Exercitationes paradoxicas aduersus Aristoteleos* edidisset, vulgata disputatione secunda telam, quam exorsus fuerat, abrumpere, remque alia et cautiore via vrgeri coactus est. Qui itaque apertum cum Peripateticis philosophis bellum

t) Hac editione inter reculas nostras literarias nos vrimur.

u) Amstelod. 1649. conf. de hoc libro SORREL. de Perfect. hom. P. III. p. 484. ed. Germ.

v) Quales illae fuerint, ex SORELLI indicio l. c. p. 501. constare potest, qui eas accurate recenset. Quem exscribere institutum nostrum haud patitur.

w) loc. cit. pag. 320.

lum detrectabant, et tamen meliora videbant, prouidentia uti statuentes non in fronte bello aggrediebantur Aristotelem, sed infidiis quasi dispositis lateri tela intentabant, simulantesque cum eo concordiam dolosa simulatione ei plagas inferebant: nonnulli paulo mitius agentes, ab Aristotele laudato et commendato in naturali doctrina discedebant, quoties experientia, tot iam tum virorum doctorum obseruationibus stabilita id iuberet. Qua via ex philosophis Gallis Honoratum Fabri circa illud tempus incepisse, alibi narrauimus. Et illis quidem partibus se adiunxisse Berigardum eo minus dubitandum est, quo certioribus indiciis ex Circulis eius constat, vidisse eum naeuos physiologiae Peripateticae, eosque candide detexisse, et illis non directa quidem acie, obliqua tamen pugna se opposuisse, ut ex dicendis constabit. Et verisimile admodum est, Berigardum inter nouatores, physicosque eclecticis haud obscurum nomen consecuturum fuisse, si apud Gallos mansisset. Quamuis enim valde refragabantur inuouationi huiusmodi professores veteres, parum tamen eos effecisse, et eo tempore, quo Berigardus fatis concessit, iam in pulcherrima luce viguisse philosophiam naturalem apud Gallos, historia innumeris exemplis testatur, et vel vnus Gassendi et sequacium conatus et scripta euincunt*. Neque a vero valde abit coniectura, Berigardum, qui licet senex de reditu in patriam cogitauit^y, eo potissimum argumento excitatum fuisse, ad deserendum, si fieri possit, pingue munus, ut liberius, quam in Italia fieri licet, philosophari liceret, nec istis amplius laruis, quibus ad decipiendos Italorum oculos usus erat, opus esset. His vero philosophiae naturalis fatis inualescentibus, cum adhuc apud Parisienses viveret Berigardus, et excellentissimae eruditionis copia, atque lectionis vastitate, praesertim in scriptis philosophorum Graecorum, vetera et recentiora omnia componere et conferre inter se nosset, otio insuper fatis liberali in eo, quo apud principem Lotharingiae fungebatur, munere frueretur, mirum non est, eam illum philosophiae veteris notitiam sibi comparauisse, quae in eius scriptis regnat. Non enim coeco assensu legebat, sed attentus iudicabat, et praeiudicia exuebat, cuius exemplum luculentum et laudabile mox in limine Circuli primi^z suppeditauit. Haec molitus, et hoc pacto in consideratione philosophiae naturali versatus Berigardus lauta conditione ab magno Hetruriae duce ad docendam philosophiam Peripateticam, medicinam et artes mathematicas in Pisanam academiam vocatus, ea vero vocatione tota eruditionis eius scena mutata

N n n 3

est.

*) Conf. Menagiana T. II. p. 9 seqq.

y) Praef. Circ. II.

z) Ibi reiecta origine philosophiae Pythagoricae ex Iudaica, recte obseruat, fabulam eam Iosepho deberi, ut accomodat ad aures vulgi sacras paginas, non verenti compluribus locis sensum pervertere. Recte quoque et contra praedictum suum temporis monet, Graecorum inuentione philosophiam nos habere, barbaros

habuisse aliquam philosophiam, sed valde rudem et inconditam, moralem praecipue, naturalem enim fuisse obscuriorem, ut ex his pateat, quae ab Hebraeis accepimus. Missos faciendos esse illos, qui philosophiam ab Adamo traditam putent, et Iosephi superstitionem Sethianas columnas memorantis &c. Quae satis ostendunt, quo iudicio sobrio in legendis veterum scriptis Berigardus usus sit.

est. Viuebat enim in Italia, in qua licet magna nonnulla ingenia caput erigere, et physicae Peripateticae explosae meliora, saltem noua et inaudita surrogare ausa erant, male tamen illis res cesserat, nec pati potuit ob rationes supra dictas curia ecclesiastica, vt Aristotelis auctoritas euilesceret; ex quo studio Peripateticae disciplinae mordicus tuendae euenit, vt Telesio, Patricio, Galilaeo, similibusque, qui a tramite Peripatetico declinauerant, grauis ignominiae nota inureretur, et retractationes, non omissa carceris vi, iniungerentur, libri autem nigro stigmatem in indice expurgatorio notarentur. Quibus exemplis discere poterat Berigardus, quanto pretio constaret, Aristotelis imperium laceessere, et hac quoque via cleri praeiudicia conuellere*. Neque vero hoc solum timendum erat philosopho Gallo, ex libera gente ad magna libertatis vincula translato, sed cum magno stipendio ad professionem philosophiae Peripateticae vocatus esset, et summa spe gratiae principum Hetruriae aleretur, speciali quoque ratione Peripateticae philosophiae professorem effingere cogebatur, nisi hac vellet gratia excidere, et nouatoris suspicione a pingui munere et fauore Moecenatum depelli. Neque id difficile fuit Berigardo, viro et iudicii acumine et lectionis diligentissimae in veterum scriptis vsu Graecae philosophiae omnis, et imprimis Aristotelicae peritissimo: qui cum ineptum conciliationis Peripateticarum doctrinarum cum sanioribus reuelationis placitis praeiudicium exuisset, melius et accuratius, quam alii ista opinione praeconcepta impediti, in veros sensus Stagiritae penetrare poterat. Cum autem otiosum et sterile commentandi genus, Aristotelicis solenne perhorresceret, nolletque inanibus vacuisque vero sensu sonis philosophiam naturalem replere, ita praeceptis Peripateticis, quae muneris ratio et conditiones vocationis iniungebant, vsus est, vt et veteris philosophiae Graecanicae lumina in partes vocaret, et recentiorum obseruationes et experientiam toties admitteret, quoties id caute instituta patiebatur tractatio. Quam suae philosophiae methodum ipse prodidit, scribens: *Conabor ex veterum et neotericorum obseruationibus ea proferre, quae sunt ingeniosius excogitata, velut hypotheses quaedam, ad diuinum opus supremi artificis adumbrandum, quemadmodum feci in aliis partibus philosophiae.* Nec hac eum laude destitui recte obseruatum MORHOFIO †, lectione libri eius abunde rem confirmante. Igitur si quis Berigardum ob publicae professionis notam Peripateticis velit aggregare, minime repugnamus, qui alio eum sensu ex hoc numero eximimus, et ad delectum ab eo philosophiae genus respicimus, quo tecta cautaque via Peripateticam arcem euertere studuit. Ast non ita stupidum fuisse Berigardum, vt quae publica docentium vox tradebat, et imprimis hominum ecclesiasticorum auctoritas, quae in Italia maxima esse solet, profiteri iuebat, ea omnia crederet, sed multa in sinu risisse, et frigidis excusationibus prodidisse, aliam sibi de rebus naturalibus mentem inesse, facile cauto

et

*) Prooem. Circ. III.

†) loc. c. pag. 165.

et attento Lectori ex dictis subolebit, et monuit quoque auctor Naudaeorum, Berigardum totam Italiae religionem contempsisse. Quod licet maxima providentia in scholis Italicis fieri debebat, non tamen omisit prode, ubi simplicioribus fumum vendere osque oblinere posset. Quod ne partis studio vel invidiae causa attulisse videamur, vno alteroque exemplo ob libri raritatem faciemus manifestissimum. Tractaturus de vi argumenti, quod ad stabiliendam scripturae sacrae auctoritatem a miraculis petitur, Aristaeum (quo nomine ipsum Berigardum intelligi postea ostendemus) ita loquentem inducit *): *Necessarius est Dei contactus ad vera miracula discernenda, ut ad supremi unius creatoris cognitionem assurgamus, nec simul colatur sanctus Mandalius, sancta Xynoris sanctus Vermius, sicut olim a Pictonibus occasione veteris epitaphii, quod vix legebatur: Vermibus hic ponor &c. unde iam factum erat, ut mulierculis lapidem hunc ad vermes enecandos deradentibus, locus ille fictis miraculis celebraretur. Si tollis afflatum diuinum, et res, ut sunt, consideras tantum naturaliter, laborat intellectus, ut veros auctores distinguat ab iis, qui fidem quaerunt falsis prodigiis.* Quae postea ita deducit, ut miraculorum recentiori aetate longa serie in ecclesia, cui adscriptus erat, enarrari solitorum incredendas circumstantias, concussam veterum fidem, et ipsa *ἀόυστα* e. g. crucem Domini clauosque multoties repetitos ostendi, ita palandas exhibeat, ut vel mediocriter attento suspicio subnascatur, rixisse eum suorum hominum, ne Iesuitarum quidem miraculis apud Sinas et Iaponenses editis exceptis, superstitionem: certe hoc omnia canone comprehendit, *haec prodigia, quantumvis illustria, nihil aut parum nos mouerent, sine fide quam habemus sanctae ecclesiae.* Quod quo fine dixerit acerrimi iudicii philosophus, Lectoris iudicio definiendum relinquimus, nostri enim hoc loco non est, disceptare de religione Berigardi, quibus sufficit demonstrare virum doctissimum, ea non probasse omnia, quae publica professio probare iubebat. Maxime vero id fecit, ubi naturalis philosophiae causa agenda erat; in qua hoc sibi statuebat ^a): *Non teneri nos assentiri sanctis patribus in rebus physicis, ut illi dicunt, parum esse curandum, quid sentiant philosophi in rebus diuinis.* Alia loca, licet non minus luculenta, ob paginae angustiam praetermittimus: haec enim ad ea probanda sufficiunt, quae ad detegendam veram Berigardianam philosophandi methodum attulimus; et lectori facilem laborem reddunt in lectione *Circularum Pisanorum* ad veram Berigardi sententiam respiciendi, modo teneat in dialogi ambiguitate Aristaei responsiones esse Berigardianas. Talis cum esset Berigardus, qui prouida simulatione philosophiam apud gentem Italam melius iuari, quam aperta professione, nouerat, Peripateticam quidem philosophiam, ut erat iustus, accurate docuit, ita vero, ut parum cautum esse oporteat eum, qui non palpauerit, ad obliuendum simplicioribus et incautis os et ad fallendam inquisitorum vigilan-

*) Circ. III. pag. 25.

a) P. 53.

lantiam et perspicaciam virum callidissimum id fecisse, et ita instituisse, vt attento dubium non sit, quin Peripateticae philosophiae evertendae causa ad veteres physicos maxime Ionicos perfugerit, eorumque arma dudum sepulta contra Aristotelem resuscitauerit. Non hic fidem nobis asserentibus poscimus, sed ipsum Berigardum luculentissimum testem damus, et omni exceptione maiorem. Vidit accurate si quis vnquam, vir acerrimi ingenii enormes naeuos philosophiae Peripateticae, vidit, detestatus eos et publice professus est, plena impietatis horrea a physiologia Aristotelica aperiri, inesse illi systemati et ipsis quidem principiis physiologicis multa absurda, et periculosa, et id tam aperte protulit, vt satis mirari non possemus, tot viros doctos Peripateticae impietatis Berigardum in tanta verborum eius claritate accusasse, nisi sciremus, paucissimis visos et cum cura atque attentione lectos esse Berigardi *Circulos Pisanos*. Dabimus autem eius verba, vt ipse interponere suum Lector queat iudicium. Ita enim scribit ^b: „Atque vt apertius euadat, quid in Aristotele et antiquis sit reiiciendum, quid vero relinquendum eorum disputationi, quibus Deus mundum dicitur tradidisse, illud imprimis occurrit reprehendendum, quod Aristoteles posuit, mundum eiusque materiam primam aeternam, primum motorem supremam modo sphaerae medio circulo insistentem, libertatis expertem, nihil aliud aptum intelligere, nisi se ipsum, nec aliud efficere, quam motum aeternum, proinde nec mundum nec aliud quicquam, ex nihilo creare posse; itemque de reliquis intelligentiis, quarum infimam videtur facere intellectum agentem, et animam vnā communem toti speciei humanae, vnde confurgit innumerabilium errorum seges“. Quae cum damnanda esse asserat, quis quaeso sanae mentis affirmauerit, Berigardum inter Peripateticos numerandum esse, qui summa physiologiae Peripateticae capita atheismi accusat. Non diffitemur, asserere Berigardum in sequentibus: „His reiectis retinere nos posse Aristotelis principia ad normam sacrae theologiae castigata“. Ast voluisse Berigardum oculis inquisitorum et censorum tantopere pro Aristotelis auctoritate vigilantium puluerem obicere, nemo non intelligit, qui considerauerit, explosis his principiis et fundamentis totum everti physicae Peripateticae aedificium. Id quod tantum abest vt in sequentibus neget, vt potius ad THOMAE CAMPANELLAE ^c effatum prouocet, ita de Aristotele statuentis: „Is mundum aeternum docet, Deum non esse factorem mundi, neque hominum, neque doctorem, qui communicet nobiscum vel in somnio vel in vigilia, nec beatorum, ante et post mortem, quippe nobiscum nec habere potest commercium, nec curat, nec intelligit inferiora. Item animas humanas esse corporum formas corruptibiles, vnā vero vniuersalem semper viuere, quia non est actus corporis. Praeterea idem Aristoteles negat poenas et praemia post mortem, vnde Auerroës scripsit contra tres legislatores, Christum,

b) Praef. Circ. I.

c) De Reduct. Relig. c. 2. n. 19.

„stum, Mosem, et Mahometum, deditque materiam scriptori impio de
 „tribus impostoribus. Praeterea Aristoteles tradit, religionem esse inuen-
 „tionem politicam, non autem natura constare: amplius negat, extare
 „daemones et angelos, nisi eos, qui affixi coelo mouent orbes“. Quae
 cum ex Campanella recensuisset Berigardus, his addit: „Ac ne quis pu-
 „tet, hoc illi tribui non a Campanella, sed ab impiis, respondet in his
 „omnibus Aristotelis philosophiam esse sophisticam, paruique faciendam
 „eius auctoritatem, cum habeamus sanctos patres et D. Thomam inge-
 „niosiores, et doctiores, nec philosophiam contradicere theologiae sed
 „Aristotelem et Aueroem, adeoque errare illos, qui dicunt, theologiam
 „in Aristotele fundari, quae in diuinarum reuelationum notis inhaeret“. His cum subscribat Berigardus, et horum se auctoritate tueatur, hocque a S. Officio Romae approbatum in Campanellae libro contendat, quis quaeso Berigardum inter Peripateticae philosophiae patronos retulerit? Ast non offendit modo Berigardum Aristoteles in diuinis et metaphysicis, sed et reliqua, quae ad physicam pertinebant magnopere illi displicuere, inde innumerus obiectionum acruus ab Aristaeo contra ficulneas Charilai excusationes allatus, et fortissimis arietibus intentatus atque egregiis recentiorum obseruationibus munitus est. Dolebat porro viro eruditissimo euertisse Aristotelem veterum mentem haud semel, et melioribus tacite suppressis infirmas rationes tantum attulisse. Adeo vero eclecticae philosophiae fauebat, vt in tanto eam profitendi periculo, scribere tamen ausus sit: „Vtrum ex Aristotelis vel antiquorum principiis philosophemur, iis
 „exemtis, quae vt dixi, fidei repugnant, nihil refert, quare LIBERVM
 „OMNIBVS RELINQVI POTEST, vt de vtraque parte iudicium ferant“. Id quod ad abiiciendum conculcandumque Aristotelis iugum eum retulisse, ex his eius verbis, nisi nos omnia fallunt, est apertissimum: „Acclama-
 „tiones et plausus illis relinquo, qui syllabatim Aristotelis expendunt ver-
 „ba et artificium, nec ei contrarium quicquam inueniunt, nisi vt illud sta-
 „tim amoliantur, et velut ἀνδράποδα καλὰ κ' ἀγαθὰ vnus placitis domi-
 „nentur“. Haec vtrum is scribere possit, cuius vna fides et religio est in Aristotele, quod Berigardo affingit auctor *Naudaeorum*, prudentis Lectoris esto iudicium.

§. IV. Satis, nisi egregie nos oculi sensusque decipiunt, haec omnia probant, Berigardum Aristoteli ex animo non fauisse, sed eum inter impietatis patronos relatum oppugnare, et ab eius tyrannide animos philosophantium liberare voluisse. Ast hoc opus, hic labor fuit, inuidia plenus, id quod probe praevidit Berigardus, vnde in *Praefatione totius operis* fatetur, cum apud se tacitus meditaretur, visum sibi esse in limine operis audire sophiam ipsam, huius rei difficultates summas, quibus ad cumulum accederet odium, atque inuidia, exaggerantem. Cauter itaque

Modus quo Berigardus contra Aristotelem pugnavit.

itaque incedendum erat, ne vel monachos exasperaret, vel patronos offenderet, vel innumeras sibi persecutiones, quae tot viris doctis exitiales fuerunt, concitaret. Verum ut erat prouidentissimus, et simulationem in Italia didicerat, ita rem sic aggressus est, ut ab incautis inter summos Peripateticismi defensores posset referri. Nempe methodo utebatur dialogistica, quam posse ita adhiberi, ut vera mens auctoris tutius lateret, et non nisi acerrimi lectores, veram eius sententiam possent deprehendere, a Platone didicerat. Id pulchre prodit scribens: „Methodum „hanc elegi, velut tutiorem, quia more Platónico dum in utramque partem disputatur, non caditur in offensionem eorum, quibus integrum „relinquitur, ut ipsi statuunt, quod consentaneum est veritati“. Duos autem collocutores introducit, Charilaum et Aristaeum, quorum ille placita Peripatetica, hic veterum opinionem tuetur. In quibus nominibus effingendis ita delectum auctor habuit, ut Peripateticorum causam tuendam traderet Charilao, *gratiam* apud *vulgus* philosophorum captanti, Aristaeo veteres tuendos commendaret, quod *optimas partes* elegisset. Ex qua nominum impositione cautus Lector sine negotio intelliget, quam meliorem esse philosophiam Berigardus putauerit, Peripateticam an veterum physicorum? Opposuit autem Aristoteli non suas obiectiones, ut Basso fecit in liberiori aura viuens, sed Ionicum systema, quod Aristoteles subdole peruertendo refutare aggressus erat. „Non verò quenquam“, ut scribit ipse, „antiquorum opposuit Aristoteli, non Empedoclem, non „Anaxagoram, non Democritum, quoniam singuli quid habent, quod „argumentis suis Aristoteles facile auertit, maxime si sententias eorum „accipiamus, ut ipse refert; quin potius ex omnibus, quae ab antiquis „praeclare dicta videri possunt, maluit feligere placita inter se magis co„haerentia, unde doctrina conficeretur, quam Aristoteles non facile suis „machinis labefactaret, et quae vicissim arcem Peripateticam aggredere„tur: ex Anaximandro tamen et Anaxagora plura depromsit“. Ita non inepte scopum se attingere posse credebat vir callidus, ita ut periculum effugeret. Nam ita dici non poterat, eum partem quandam contra Aristotelem fuisse secutum, cum lectori liberum reliquerit, partes eas eligere, quas velit, vel consentaneas veritati putet: suam enim se opinionem mentemque non declarare, ipse aliquoties monet. At sub hac larua liberum erat pestilentissima physiologiae Peripateticae dogmata suis depingere coloribus, et denudata pigmento, quod inepti conciliatores illeuerant, nudam ostendere eius turpitudinem. Id quod tanta eruditione, et demonstrata Peripateticae physiologiae cognitione fecit, ut rectissime iudicauerint, qui pronunciarunt, omne Aristotelicae physicae venenum apertissime in iis dialogis fuisse appositum, licet in eo errauerint, quod credant, hanc impietatem Berigardum probare. Contrarium ipse monet, scribens: „Quando in his Circulis quispiam defendi videbit, errores Aristotelis, id „fieri non alia mente sibi persuadeat, quam eam esse eius doctrinam licet „emen-

„ementientem atque mendosam, quae veterum placitis inanioribus oppo-
 „nitur“. Ita commissos inter se, Ionicos veteres et Aristotelem dum
 pugnantes introducit, occasionem nactus est egregiam, multoties Ionica
 systemata, licet manca, quod non negat, et imperfecta, Peripatetico prae-
 ferendi, huiusque nuditatem falsitatemque detegendi. Ita vero rem ag-
 gressus est, vt dum ordinem librorum physicorum Aristotelis sequeretur,
 eiusque mentem a Charilao expositam et, quantum liceret, demonstratam
 daret, Aristaeo, Ionicorum systema Peripatetico opponenti id muneris
 daret, vt ostenderet, planius certiusque de rebus naturalibus philosophari
 quem posse, si vagis, ineptis impiisque principiis Aristotelicis hypothetice
 „surrogentur corpora aeterna, prima et infinita, mutua consensione ac
 „repugnantia temperata, illis autem adiungeretur et praefigeretur mens
 „velut causa efficiens, hac enim ratione appariturum, quantum Aristote-
 „lis motor primus infra hanc naturalem doctrinam fit“. Dabimus ipsa
 Berigardi verba, tum ob libri raritatem, tum vt clare appareat, quo sen-
 su Ionicum systema Berigardus reuocauerit. Ita vero ille: „Aristoteli
 „materiam aeternam et res abstractas a materia longe aliter quam sint, fal-
 „so afferenti, opponere decuit antiquos, qui omnia corporea esse statue-
 „rent, et primum motorem ab vniuerso non distinguerent, vt palam fie-
 „ret, quinam propius abessent a veritate, et quorum principia, DEM-
 „PTIS ERRORIBVS, retineri possent, ad rerum naturalium declaratio-
 „nem. Nec dubium, quin Aristoteles in iis, quae ad animam et Deum
 „attinent, partes obtineat potiores, si spectetur tantum eorum sententia,
 „qui nihil esse putarunt, quod non esset corpus. Sed quoniam Aristaeus
 „hoc intuens dixit corporibus infinitis et aeternis posse adlici mentem
 „Athenagorae, quae melius refert Dei naturam, quam primus motor
 „Aristotelis, hypothese sic reconcinnata, difficile est“ (forte dicendum
 ex mente Berigardi, facile,) „statuere, grauioresne sint errores Aristo-
 „telis an antiquorum. Hi tamen perinde atque ille sunt reprehendendi,
 „quod substantias simplices corporeas aeternas esse docuerunt, quantum-
 „uis mentem vnā aut plures posuerint vniuersi gubernatricem. Quare
 „superest, vt eorum erroribus amputatis videant philosophi, an princi-
 „pia rerum naturalium possint esse CORPVSCVLA TENVIA A DEO
 „CREATA, QVORVM SOLA CONGREGATIONE ET SECRETIONE
 „omnium ortus et obitus, vt plerique ex SS. Patribus censuerunt perficia-
 „tur, et an ille corporum consensus atque dissensus, NIHIL REPV-
 „GNANS DOCTRINAE SACRAE PRAESTABILIOR SIT QVAM
 „MATERIA PRIMA ARISTOTELIS“. Aut coecutimus nos prorsus
 et nihil videmus, aut ita perspicua haec verba sunt, vt satis clare appareat,
 Berigardum reiecta inepta et impia physiologia Aristotelis Ionicum parti-
 cularum systema Democriticis rationibus incrustatum ad atomisticum sen-
 sum ita reuocasse, vt loco principiorum nuda mentis praecisione effecto-
 rum ad minima corporum descenderet, et ita rerum naturam non ex ima-
 gina-

ginariis, sed veris principiis explicaret; abiectis tamen iis, quae cum reuelata veritate consistere nequeunt, qualia sunt causa efficiens vel omnia plane, vel corpusculis aeternis tantum sociata. Hoc systema Berigardum habuisse pio verisimili, proque eo, quod doctrinae sacrae non repugnet, et consensu antiquitatis ecclesiasticae se tueri posset, adeoque multis nominibus Aristotelico praefendum sit velut longe verius et praestabilius, adeo manifestum ex hoc loco est, ut mirari satis non possimus, qui fieri potuerit, ut viri docti et alias accurati Berigardo contrariam mentem affinxerint, et ita attentionem, quam poscit ambigua Berigardi oratio, desiderari passi sint. Neque id vno loco monuit Patauinus philosophus, sed passim lectoris aurem vellicauit, innuens, *erroribus* quos in Ionico quoque systemate satis graues et detestandos nouerat, et ingenue fatebatur ^d, *reiectis, eo nitendum esse, ut palam fiat, expurgatae doctrinae praesidio mundi constitutionem non aliam esse, quam Christiana veritas doceat.* Quam ut corroboraret, et ne videretur cum Ionicis ex solo particularum mediante lite et amicitia concursu earumque coalitione et secretionem mundum effinxisse, multus non sine ingenio et doctrina fuit, in demonstranda veritate cosmogoniae Mosaicae, cui praecipue locum fecit in commentatione *Circuli tertii in librum de coelo.* Cum enim de mundi origine tractationem suscepisset, duabus digressionibus reuelatae doctrinae veritatem probare conatus est, quarum prior literarum sacrarum auctoritatem circa mundi originem asserit, posterior de origine mundi ex sacris literis differit. Nec contemnenda omnia sunt, quae in his digressionibus assert, euertendae impietati satis accommodata. Et initio quidem recte monet, *etsi dogma fidei nostrae de origine et fine mundi indigeat rationis vllius adminiculo, permittere tamen ea considerari, quae theologi vocant motiua credendi, ut ex iis naturaliter videri possit, quam longo intervallo doctrinas omnes profanas post se relinquat.* Potissimam autem demonstrationis partem in Mosis auctoritate euincenda ponit κατ' ἀνθρώπων contra philosophos disputaturus, qui cum sibi credendum esse postulent, maiori id iure sacram poscere historiam, cum ob antiquitatem, tum ob scriptoris sanctimoniam. Vtramque argumentis, quae vocant non intrinsicis, sed extrinsicis quoque probat, et ad testimonia veterum philosophorum prouocat, quibus constare putat, Mosen et antiquissimum et sanctissimum scriptorem ipsis gentilibus visum esse. Respondet etiam ad crimen goëtia Mosis miraculis obiectum, ita tamen, ut valde laboret in saluandis miraculis in ecclesia cui addictus erat iactari solitis, quae quo loco habeat, ex supra dictis intelligere licet. Recte autem monet, imposturae vel sceleris nulla verisimilitudine reum agi Mosen posse, et δυνόντα in oraculis sacris non a scribentis sed legentis vitio ortum suum ducere. Quae omnia non sine eruditione late diducit, ita tamen, ut studeat sui coetus hominibus placere, vnde assertum profluit ^e, quod ab homine

d) Circ. III. Prooem.

e) pag. 39.

homine Gallo non nisi in Italia viuentem expectaueris : „Fieri, vt si fin-
 „guli fideles seorsim accepti aliquo errore teneantur, non possit tamen a
 „pontifice et concilio legitime congregato decerni quicquam alienum a
 „veritate“. Et haec *προσωποληψία* candore philosophi indigna
 ad nonnullas eum hypotheses digredi coëgit, minime probandas ^f
 v. g. „nihil officere veritati, si quis scriptores sanctos dicat saepe me-
 „moria lapsos, eo quod lapsus memoriae non sit mendacium, et dum
 „ad sensum duntaxat attendunt, non ita exacte res referant. Tempore
 „calamitatis Iudaicae sub Ptolemaeis et Antiochis multa in sacra scriptura
 „esse deprauata“. Haec et similia prauis commatis eo se sine scripsisse ait,
 vt demonstraret, „in summa rerum perturbatione, nisi recurramus ad
 „ecclesiae auctoritatem, facile esset suspicari, multa in iis corrumpi potu-
 „isse“. Quae et alia nonnulla laudem eam minuunt, quam huic tracta-
 tionis tribuit MORHOFIVS ^g. Sed vt in viam ad ipsum Berigardi insti-
 tutum redeamus, cum in vtroque tamen systemate physiologico graues
 occurrere difficultates agnosceret et fateretur, ad sobrium quendam scepti-
 cismum confugit, eo gratiorem suae regionis hominibus futurum, quo
 aptiorem credebat ad firmandam necessitatem auctoritatis ecclesiae in do-
 ctina fidei. Ipsa et hoc loco eius verba audienda sunt, quibus ita prae-
 cipit ^h : „Vt demus, haud aliud haberi ex naturalium rerum indagatio-
 „ne, quam dubitationem : est tamen viri sapientis, prudenter de iis du-
 „bitare, ad quorum intuitum natura erexit hominem, atque, vt ait Ari-
 „stoteles, satis est, ad hypothesin possibilem ea reducere, et rationis ali-
 „quod simulacrum adornare. Sic Diogenes ipsi, quaerenti, cur nihil
 „sciens ipse philosopharetur, si philosophiam, inquit simulo, hoc ipsum
 „est philosophari“. Et alibi apertius scribit ⁱ : „Cum ex nostris dispu-
 „tationibus quas sperabam frugiferas, non aliam hactenus, quam multa-
 „rum disputationum messem confecerimus, vix aliam ex hac vltima par-
 „te sperare possum, quam vt videamus, non modo nos nihil scire, sed
 „etiam nihil scire posse, quamdiu erimus inclusi compagibus huius cadu-
 „cae mortalitatis“. Quae vt clara sunt, et locum Berigardo inter Sce-
 pticos recentiores faciunt, ita in viro sectariam philosophiam sequenti
 miranda non sunt, praesertim cum in Italia viueret, cuius regionis cir-
 cumstantiae eo tempore tales erant, vt non posset non Berigardus in Sce-
 pticismum incidere. Neque tamen ita scopo suo Berigardus excidit, sed
 cum argumenta argumentis opponeret, multo valentiores esse partes Io-
 nicorum, quam Peripateticorum, demonstrauit haud infeliciter : et vbi
 illae deficiebant a Platone, Democrito aliisque veterum suppetias acciuit.
 Cumque vtramque partem sibi non satisfacere concederet, et imprimis
 fateretur, se ab Aristotele quod sedaret famem vel sitim non accepisse ;
 iucunda similitudine perorans, quem scriptionis scopum habuerit prodit.
 Ait enim ⁱ : „Nobis accedisse videtur, vt duobus parasitis qui cum ien-

O o o 3

„tacu-

f) p. 35. ff) l. c. p. 165. g) Circ. V. in Prooem. h) Circ. VI. Dial. II. p. 2. i) Circ. VII. p. 141.

„taculo condixissent ea lege, vt alter potulenta, alter esculenta secum
 „afferret, spe fretus vterque, se focii copiolis genio facturum satis, post-
 „quam hic pulmentum alterius occupasset, et vicissim ille lagenam, haec
 „quidem inanis reperta est, illud vero pictura simulatum, vnde necesse
 „fuit, vt aliunde sibi cupedias prouiderent. Ita nos defraudato vicissim
 „genio ad locupletiolem cellam penuariam non fictis, sed veris cibis in-
 „structam, nempe moralem philosophiam, exemplo Socratis diuertamus.

*Berigardus
 contra im-
 pietatis sus-
 picionem se
 munit.*

§. V. Hac ratione cum Peripateticae philosophiae clandestinum in-
 ferre bellum tentans alienis armis vteretur Berigardus, facili coniectura
 intellexit, multis hanc rem expositam esse periculis, nec caute satis ita
 muniri posse, vt non maleuoli ansam arripiant perfecto scopo suo, tam
 callide dissimulato ad impietatis et haereseos accusationem abutendi. Vt
 itaque heterodoxiae philosophicae suspicionem praeuereret, cautelas ad-
 hibuit, quas poterat inuenire, tutissimas. Non contentus censorum, qui
 lyncei plerumque solent esse, approbatione, qua scriptiones eius velut
 orthodoxas et ad amplificanda Peripateticae philosophiae mysteria pluri-
 mum luminis afferentes extollebant, protestatione quoque se mu-
 niendum Lectoremque de mente sua monendum esse censuit. „In-
 „de clare se, ait*, et ingenue profiteri, se nulli doctrinae, nisi Christiana-
 „nae veritati esse addictum, proinde quae citra praeuaricationem tam
 „pro Aristotele, quam pro antiquis in medium proferat, non proponere
 „se, vt vera, sed quid in iis sit veritatis, sacris theologis ac philosophis
 „doctioribus examinanda ac iudicanda. Et ne frigidam hanc quis excusa-
 „tionem esse contendat, et accipiatur sinistra, quod ipse dextra porrige-
 „bat, clarissime quid de pestiferis veterum erroribus, et praecipue de ma-
 „xima labe physiologiae Aristotelicae sentiat, iis verbis quae supra attuli-
 „mus, exposuit. Promittit etiam „si obscurius loquutus fuerit, se etiam
 „illis consulturum, qui vel minus philosophice sciunt, vel minus Latine,
 „et pro virili parte se explanaturum, et si minus ad sacrae doctrinae line-
 „am aequari potuerint, emendaturum. Malle enim se cum Augusto, vt
 „suus Ajax in spongiam incumbat, quam vt inconsiderate porcos Epi-
 „cureos persequendo misera prolapsione in profundam erroris alicuius fo-
 „ueam incidat“. Et ne sic quidem sibi prospexisse contentus, pro veri-
 „tate religionis naturalis, quam a Peripateticis valde labefactari demonstra-
 „uerat, pugnare, eamque iis rationibus confirmare aggressus est, quibus
 „constare posse putabat, veritatem religionis Christianam, etiam semoto
 „peculiari contactu diuino, et auctoritate ecclesiae esse verisimillimam.
 „Qua ratione longe se cautius philosophari credebat, et lectores quoque
 „monebat, quam Zabarellam, impietatis culpa tamen nunquam exosum,
 „qui ex motu aeterno motorem primum demonstrari non posse asseruisset.
 „Ita enim praefatur: „Denique vt constet, ea quae dicuntur in nostris
 „Cir-

*) Circ. I. Prooem.

„Circulis permiffa iam fuiſſe a ſacro officio, libet pauca ſubiicere, maxime
 „ne cui durum videatur, quod introduco Ariſtaeum defendentem ſenten-
 „tiam Iacobi Zabarella, viri in hoc lyceo celeberrimi. Haec ſententia
 „libro de inuentione aeterni motoris approbato ſaepe a S. officio docet,
 „unicum medium philoſopho naturali ad demonſtrandum: dari primum
 „motorem a materia abiunctum eſſe motus aeternitatem, quae quia non
 „datur, vt fide diuina certi ſumus, ſequitur, primum motorem demon-
 „ſtrari non poſſe naturaliter, ſed ad hoc opus eſſe Dei contactu peculiari.
 „Neque propterea Zabarella putat, eam, quam vocat, demonſtrationem
 „primi motoris ex motu aeterno eſſe veram demonſtrationem, vtpote cu-
 „ius medium falſum eſt; ſed loquitur ex falſis principiis Ariſtotelis, nem-
 „pe ſi verus eſſet motus aeternus, inde ſolum oſtendi poſſe primum mo-
 „torem. Hanc Zabarella opinionem iam permiffam, ſi tuerer, id for-
 „taſſe tuto facere poſſem, verum contrariam exiſtimo magis eſſe conſen-
 „taneam pietati, propterea illi oppono Charilaum^k, qui contendit, Deum
 „verum cognosci poſſe naturaliter, et licet rationes illae ſeorſum acceptae
 „non videantur ſufficere ad conuincendos pertinaces Epicureos, vt con-
 „cludit vltimis verbis, omnibus tamen ſimul inſtructis ait intellectum recte
 „diſpoſitum poſſe eleuari ad hanc cognitionem naturaliter, ſed abſque
 „merito gratiae et gloriae, vt ſic inexcufabiles vere dicantur, a diuo Pau-
 „lo, qui contentis his rationibus ad falſas et irreligioſas opiniones dela-
 „pſi ſunt“. Monet porro: „non diſputari a Charilao et Ariſtaeo, an
 „detur Deus, quam quaestionem impiam vocant, neque an expers ſit li-
 „bertatis; et an mundus ſit aeternus, an ex nihilo creatus, ſed hoc ab iis
 „quaeri, an melius de hoc ſenſerit Ariſtoteles, an philoſophi vetuſtio-
 „res, et quae ſit eorum ſententia licet impia. Verum ad eorum opiniones
 „declarandas interdum, vt ſit in dialogis, afferre ſe, non pro philoſopho
 „naturali, ſed pro theologo rationes antiquis ignotas exercitationis tan-
 „tum et vberioris doctrinae cauſa, idque ſibi perinde ac aliis condonari
 „poſſe“. Ex quibus eius verbis, qui praeiudicio occupatus non eſt, facili
 „attentione aſſequi lector poteſt, quae mens Berigardi de demonſtratione
 „DEI ex lumine naturae fuerit, et quaecunq; ille diſſerit, hypothetice
 „tantum, et prout ex ſyſtemate vel Peripatetico vel Ionico fluunt, attuliſſe:
 „reiſa tamen quibus potuerit rationibus contra impietatis ſuſpicionem ſe
 „muniſſe.

§. VI. Obtinuit hac ſua prouidentia Berigardus, quod quaerebat,
 dum in vitis erat. Quippe prodierunt eius Circuli inſpectoribus non ſu-
 ſpecti, et multa orthodoxiae laude ornati, praecipue cum crederentur
 Peripateticae veritates in illis ab errorum caligine vindicari. Aſt quod
 viuo non accidit, fato functus euitare non potuit, ſed ob hunc ipſum li-
 brum, in quo haud perfunctorie ſe pro cauſa DEI patefacta impietate
 Peripatetica pugnare ſibi viſus eſt, inter clauſtos Numinis hoſtes nu-
 meratus

*Berigardus
 arbeiſini ſu-
 ſpectus.*

k) Fallitur itaque P. BAYLE, qui l. c. Art. Ruſin. not. C. p. 167. Zabarella opinionem ei tribuit.

meratus est. Cuius opinionis de Berigardo primus, quantum recordamur, auctor fuit SAMVEL PARCKERVS ¹⁾, vir et iudicii acumine et eloquentiae laude et eruditionis copia celeberrimus, et praecipue ob insignem DEI causam aduersus atheismum tuendi feruorem omni encomio dignissimus; at in inurenda impietatis macula nonnunquam magis quam decebat praiceps, et paulo quam par est, interdum suspicacior. Huic enim doctissimo praefuli ficta ista pugna Berigardi visa est, suspectusque is, quod ideo impia systemata denudauerit, vt hoc venenum eo fortius lectorum animis insinuaret. Sane graue ἔγκλημα est, quod in Berigardum coniiicit, his verbis: „Caesalpinum eadem impietatis via et ratione non modo fecutus est, sed superauit Claudius Berigardus Molinensis, qui vna cum „impia Aristotelis disciplina obsoletam istam quoque veterum Ionicorum „(quemadmodum de iis ipse censuit ac plerique alii censuerunt) reuocauit. Cum enim disputationes suas dialogorum consuetudine scripsit, fermonem in duas personas Charilaum et Aristaeum distribuit, quorum „alter Aristotelem, qui praeter materiam, quendam primum motorem, „prouidentiae tamen expertem posuit, alter antiquos illos defendit, quos „omnia corporea esse velle, nullumque primum motorem ab vniuerso „corporeo distinxisse putauit. Atque adeo vno eodemque opere diuerfas „cum Epicureae tum Peripateticae impietatis rationes, adornauit, quam Aristotelis disciplinam fufius et ardentius excoluit, atque eam potissimum, quam libro physicorum octauo librisque de coelo et rerum „generatione tradidit, quibus vniuersam mundi fabricam sine prouidentia „architectrice extruxisse se putat philosophus. Neque nefaria sua dogmata „vno aut altero capite, vt Caesalpinus, insinuauit, sed aperte omnem „Peripateticae impietatis rationem secutus est, neque numinis prouidentiam, vt ille, e rerum natura tollere, fatis habuit, nisi et false dictis „(qualia vir non admodum facetus potuit) increparet. Tantum tamen „abest, vt in quam reprehensionem incurrat, vt laudem et auctoritatem „a S. inquisitorum officio obtinuerit. Quod scilicet, quae in Aristotele „reprehendenda sint, omnia callide praefatus fuisset“. His cum verba Berigardi supra adducta de erroribus physiologiae Peripateticae subiecisset, addit: „Quanquam prima et praecipua ista sint Aristotelicae philosophiae „effata, et quaecunque praeterea dogmata habeat, istorum gratia, aut „quod confirmarent, aut quod admodum cum iis conuenirent, docuit; „vt tota quidem ipsius disciplina iis solis innitatur, eorumque praefidio „inferuiat, neque hic quosuis Aristotelis libros excoluit, nisi qui eiusmodi „decreta praecipue continerent. Atqui tamen tantum praeeiudicata opinio „poterat, vt quicquid cum Aristotelis disciplina conueniret, sola illius „auctoritate pium sanctumque existimarent, quanquam cum ea nihil conuenire poterat, nisi quod omnes impietatis radices ipsasque radicum „fibras euellat“. Haec Parckerus, qui ipse audiendus fuit, eo quod ple-

rique

1) Disput. I. de Deo f. 24. p. 67.

rique tantae existimationis viro crediderint, et eius fide Berigardum inter numinis hostes retulerint. Sane illius maxime auctoritate inductus locum Berigardo inter atheos fecit B. IO. FRANC. BVDDEVS ^m. Paulo aliter accusationis colorem induxit illustris LEIBNITIVS ⁿ, illi enim ob Auerroisum incrustatum vapulat, valdeque impietatis suspectus est. Quorum vestigiis ita insistent viri summae eruditionis, MAT. VEIS. LA CROZE ^o, et IAC. FRID. REIMMANNVS ^p, vt non contenti morologiae Peripateticae errores Berigardo tribuisse, illum systemati Spinozistico, quod ab Aristotelico valde differt, praeluisse contendant. Aliter hanc dicam Berigardo scribit PETRVS DE VILLEMANDY ^q, illi enim ideo suspecta est admodum religio et fides Berigardi, quod, „dum res „omnes physicas, immo et diuinas plerasque ex principiis Aristotelis ita „declarat adstruitque, vt easdem illas ex oppositis Anaximandri hypothe- „sibus, purum atheismum redolentibus, continue impugnet ac euertat, „nihil in rebus physicis stabile et immotum reliquerit, et contra perpetua „sua illa libratione cunctas suspenderit, nec alio tendere illam assumtam „Anaximandri hypothesein credas, quam Berigardus Aristotelicae longe „praefert, nisi eo vt in supremi Numinis eiusque prouidentiae locum in- „finitam quandam materiam infinitis corporibus dissimilaribus, ex se ipsis „mobilibus conflata, hoc est, in veri Dei locum caecam naturam substi- „tuat“. Quas accusationes et virorum a quibus profectae sunt magnitudine, et capitum, quibus constant, grauitate, acerbissimas esse, summumque momentum habere, quilibet fatebitur. Non indignum itaque nostro labore erit, rem paulo curatius inspicere, et audita vtraque parte lectorem, quid de Berigardi religione statuendum sit, quoue loco eius *Φιλοσοφούμενα* habenda, accurate edocere. Id quod eo facilius fieri poterit, quia in antecedentibus loca illa omnia adducta sunt, quorum effatis statque caditque Berigardiana pietas. Ex his enim iudicandum, illa intuenda, et scopus auctoris diligenter expendendus est. Quod qui negligunt, et vel librum ob raritatem legere non possunt, vel oscitanter tantum legunt, cum magnam attentionem postulet anfractuosa dialogorum methodus, eos decipi in definienda causae iustitia vel iniustitia, oportet: id quod in inurenda atheismi macula fieri non debet.

§. VII. Parum quidem nostra refert, referendusne Berigardus sit inter numinis hostes nec ne? magna quoque est virorum summorum, quos adduximus, auctoritas. Veritatis tamen historicae interest, rem hanc sine examine non dimittere, quodque immerenti hanc affricuerint ignominiam,

*Iudicium de
atheismo Berigardo ob-
iecto.*

m) Thef. de Atheismo c. 1. §. 24. p. 130.

n) Dissert. praelim. ad Theodiceam §. 11. p. m. 11.

o) Entretiens p. 348. add. Naudaeana p. 110.

p) Hist. Atheismi f. III. c. 5. §. 19. p. 409.

q) In Scepticismo debellato p. 11. Nihil definit BAYLE l. c. ex quo suspicamur, eum librum Berigardi non vidisse.

miniam, ostendere. Neque enim ab hoc officio tractationis nostrae scopus alienus est. Quod si ea considerentur, quae supra de Berigardi intentione, modo sineque scribendi fuisse ex ipsius libro cum cura et attentione perlecto disseruimus, facile putamus esse, apologiam pro Berigardo scribere, et ab hac contumelia inuictis eum argumentationibus absolueri. Qua quidem opera ita leui brachio perfungi liceret, ut ostendatur, ipsos sibi accusatores contradicere, nec vna stare posse accusationes omnes. Quod si enim verum est, quod inuidiosius, quam par erat, illi obiecit Parckerus, in Peripatetico atheismo eum haesisse, qui potuit Epicuream impietatem commendare, quae a Peripatetica physiologia toto coelo differt, et ab illa tota evertitur? Si Auerroismus illi obiiciendus est, cur Numinis alicuius prouidentiam negasse dicitur, cum intellectum agentem vniuersalem Auerrois hypothesis innuat? Si primum motorem sphaerae supremae affixit, et e rerum natura sustulit, qui potuit mundum habere cum Spinoza pro Deo modificato? Si Scepticam impietatem introduxit, qui potuit caecam naturam affirmando falsa numina vero substituere? Et annon hoc sufficit, ut intelligatur, male totam accusationem cohaerere, nec satis attente et cum cura viros doctos Berigardi librum legisse? Verum ut tota causa manifesta Lectori sistatur, curatius paulo ad obiectiones respondendum est. Quod ut rite faciamus et Lectorem conuincamus, ex supra allatis verbis Berigardi ipsissimis supponimus: 1. Verum quidem esse, impietatem Peripateticam neminem clarius demonstrauisse, quam Berigardum, et totam eius turpitudinem demonstrauisse, ac contra Peripateticos, colorem et excusationem praetendentes ad oculum quasi euicisse: ast longum hunc et difficilem laborem ideo Berigardum subiisse, ut Peripateticos, quos aperte aggredi non audebat, clandestinis tectisque vulneribus confoderet, et impietatem atque absurditatem Aristotelicae philosophiae in luce clarissima ponendo, verisimiliora ei opponeret. Adeo luculenter hoc a nobis supra probatum esse confidimus, ut prorsus satisfacere posse Lectori veri cupido sumus persuasissimi. 2. Ex supra dictis repetimus quoque, Berigardum Ionico systemati non nisi *υποδετικως* subscripsisse, idque non eo fine elegisse, quod crederet indubitatas rerum naturalium circumstantias in eo recludi, sed quod vetera opponendo veteribus putaret, ita longe felicius a simplici philosophandi genere Aristotelica dogmata euertere posse. Immo 3. hoc quoque ex antecessentibus constat, eum non nudum brutumque Anaximandri systema elegisse, sed materiae aeternitate demta, ex particulis minimis, mediante mente secundum placita Anaxagorae formationem mundi tradidisse. 4. Obseruatum autem simul est, candide agnouisse, et fassum esse Berigardum, non tantum Peripateticum systema cum veritate diuina et naturali stare non posse, sed inesse quoque Ionico nonnulla erronea, et magnopere emendanda. Ast praetulisse tamen illud Aristotelico, eo quod demtis erroribus corrigi melius inque concordiam aliquam redigi possit cum fide Christiana aliunde

unde certissima, et id voluisse Patauinum philosophum, ita hac philosophia praeparandum animum, vt a supranaturali lumine plenissime conuinci queat, hocque pacto illud Aristotelico longe praestare censuisse, quod emendari nequeat, nisi summa eius capita decidantur, et fundamenta evertantur primaria. Haec verba Berigardi supra adducta clarissime docent, eo tota eius tractatio collineat, hanc disputationibus suis metam praescripsit. Quae cum ita se habeant, non videmus, quo vel leui praetextu coloreque atheismi vel Peripatetici, vel Ionici, vel Epicurei queat Berigardus accusari. Vt enim taceamus, disputari posse, vtrum inter atheos directos Peripatetici, Ionici, Epicurei referri queant, quod ex illis iudicandum est, quae *Tomo primo* prolixè de his sectis docuimus; vbi etiam id concedimus, valde impietati esse affinia ista systemata, non tamen inde exculpi posse putamus, quod contendunt Parckerus, Buddeus, Leibnizius, Crofaeus, Reimmannus, Villemandaeus. Nam quod ad accusationem atheismi Peripatetici attinet, quam potissimum Parckerus vrget, ipse praesul eruditissimus factus est, candide monere Berigardum summa et prima Aristotelicae physicae capita peccare in veritatem et religionem, et amputanda esse nec tolerari posse. Quibus nihil habet, quod obiiciat, nisi omnem Aristotelicae morologiae insaniam eum tamen latissime in suis disputationibus explicuisse, et hoc eo fine, vt illam hominibus commendaret. Id quod vellemus viro magno non excidisse. Quamuis enim verum sit, denudatam eum exhibuisse physiologiam Aristotelicam, manifestum tamen ex dictis est, id fecisse ideo, vt eius falsitatem ostenderet, et derelinquendam esse in rerum naturalium explicatione infusurraret quasi in aurem et cauto modo instillaret. Contra aperta verba vero nuda suspicione aliquem nefandi criminis reum agere, durum nimis est, et ab humanitate alienum, et eo minus Berigardo faciendum, quo minus facile reperire est, qui Aristotelis physicam doctius in ruborem dederit. Ast obiiciet nonnemo: cur non directa oratione Aristotelis impietatem detestatus est? cur non veneno apposuit antidotum? cur tam tecte mussitauit, vt consentire videatur? Respondebit ad haec ipse Berigardus: „Sententiam meam proferre non debeo, ne cum Aristotelis interpretandi munere tandiu perfunctus sim, IN MAGISTRVM DESPVERE, ET „APOLACTIZARE, vt ait Plautus, aut antiquorum cineribus insultare „velle videar“. Quibus verbis vel caecutientes deprehendunt, innui, si sententiam suam Berigardus protulisset, futurum fuisse, vt pro eo haberetur, qui in magistrum despueret, id est, eius philosophiam contemneret et reiiceret. Quae si paulo attentius considerasset Parckerus, ab odio et inimicitia, qua in Aristotelem, laudabili quidem pro caussa Dei feruore, sed interdum paulo ardentius, quam inquirenda veritas patiebatur, accensus est, abripi se passus non esset, ad minuendam Berigardi famam notamque atheismi inurendam. Quod vero ad Auerroisimi accusationem

P p p 2

attinet,

r) Praef. Circ. I.

attinet, aut non vidit vir summus, a quo ea profecta est, Berigardi librum, et ab aliorum relatione deceptus est, aut non totum, ut innumeris laboribus distringebatur, cum cura euoluere potuit. Tantum enim abest, ut Auerroisum Berigardus incrustet, ut disertissimis eum verbis reiiciat. Scribit enim: „Intellectus agens est mens seu intelligentia quaedam immortalis, tamen non omnium prima, ut putauit Alexander, AVERROES, Zabarella. Nam cum illa sit Deus, non diceretur recte mens humana“. Et paulo post: „Nos vero credimus, esse spiritum immortalem singulis hominibus in ipso exortu eodem puncto temporis a Deo creatum et infusum, et si Aristoteles ita sensisset, fidentius poterat asserere, patientem intellectum nihil aliud esse, quam phantasia, siquidem in homine satis est reperiri animam unam immortalem, quae intelligat et velit efficienter, licet actus illi non recipiantur in ipsa, sed in phantasia“. Quae verba ab omni Auerroismi suspicione Berigardum amplissime liberant. Nec firmiori talo stat Villemandaei accusatio, cui frigidam quoque suffundit Parckerus, temerarium corpusculorum aeternorum systema sine mente et Deo Berigardum in Numinis locum substituisse. Parckero enim Parckerum opponimus late disputantem Ionicis Phisicis ob neglectum in systemate Deum atheismum obiici non posse, eo quod illum non negauerint, vel a rerum conditarum fabrica excluderint, sed supposuerint, contenti, ut phisicis par erat, de rerum naturalium principii materialibus differuisse. Hoc systema emendatum et abiecta aeternitate corpusculorum correctum qui sequitur, is iudice Parckero atheus non est. Quod pro Berigardo non minus militat, quam pro Anaxagora vel Anaximandro. Villemandaei criminationi autem verba obstant Berigardi, momentis, „corporibus infinitis et aeternis posse adiici mentem Anaxagorae, quae melius refert Dei naturam, quam primus motor Aristotelis: et tamen Ionicos reprehendendos esse, quod substantias simplices aeternas esse docuerint, quantumvis mentem posuerint vniuersi gubernatricem. Superesse ergo, ut amputatis erroribus ponantur principia rerum naturalia CORPUSCULA TENVA A DEO CREATA, quorum sola congregatione et secretione omnis ortus et obitus perficiatur, et hunc consensum atque dissensum corporum nihil repugnare scripturae sacrae, et praestabiliorem esse quam materiam primam Aristotelis“. In qua explicatione, dum atomisticum systema sequendum esse monet, tam diserte Deum illi conditorem et gubernatorem praeficit, ut tota accusatio vno ictu corruat. Quod si vero haec concidunt, non videmus, qui Spinozismus queat Berigardo obiici: quem nec Peripateticum nec Ionicum systema, etiam mendosum et capitalibus erroribus suis refertum admittit. Berigardus autem inter materiam et Deum accurate distinguit, nec materiam patitur cum Deo confundi. Meliori veritatis colore scepticismus phisicus Berigardo obiicitur, quem negari non posse, ex propria eius con-

s) Circ. VI, Dial. 20. pag. 137.

confessione supra adducta constat. Ad declinandam tamen, qua Berigardum Villemandaeus cumulat inuidiam obseruamus, scopum scepticismi huius a Patauino doctore admissi considerandum esse. Id enim vult, vt clarissima eius verba euincunt: omnem sectariam philosophiam Graecorum verifitenti animo in naturali doctrina non facere satis, adeoque eam relinquendam esse ob innumera dubia. Ita euertit quidem haud illaudabili consilio sectariam philosophiam, non autem naturalem cognitionem omnem. Deinde scepticismo hoc vtendum esse, putauit ad auctoritatem fidei et ecclesiae extollendam eiusque necessitatem demonstrandam. Quo animo id fecerit Berigardus, nos, qui corda non scrutamur, non definimus, et dubium relinquinus, vtrum pia mente an ad obtrudendum sacerdotibus palpum id scripserit: sufficit, impietatis notam ex scepticismo hunc in finem adhibito exculpi non posse, et fuisse alios quoque v. g. Huetum, Huetium, &c. in eadem haeresi, quos in numinis reuerentiam iniurios fuisse nemo dixerit. Ex his vero plenis cyathis iam allatis luculenter, nisi nos omnia fallunt, et sensus oculique destituunt, constat, in quos esse in Berigardum, qui librum eius theatrum Spinozisticum et atheisticum esse clamitant, et agnoscendam esse eius in hoc quidem argumento innocentiam. Quod ad reliqua autem attinet, non negamus, Berigardum singulares nonnunquam opiniones fouisse, sine obelo non praetermittendas, at difficulter ob methodi dialogisticae ambiguitatem et quae sitas studiose latebras detegendas: ipsa vero Circulorum Pisanorum, licet docte pariter atque subtiliter scriptorum editione non admodum praeclare de orbe philosophico multoque minus de republica Christiana meruisse. Quamuis enim vlcera Peripatetica fortissime tetigerit, et detestabiles errores Aristotelis manifestos fecerit, adeo tecte tamen ne suis commodis et auctoritati ex Aristotelica philosophia acquisitae obstaret, id fecit, vt qui innumeras disputationis anfractuosae et multis diuerticulis impeditae difficultate magna patientia superare non contendit, facile in eam opinionem concedat, commendare eum Peripatetica, ex quo caecus sequi potest eorum assensus, qui has subtilitates assequi examinareque haud valent. Et licet, quae in Ionico systemate laudanda, quae reprehendenda sint, ostenderit, peccauit tamen in eo, quod ineptis, vt ipse fatetur hypothesebus meliores non surrogauerit, et contentus ostendisse tolerabiliorem esse Ionicam physiologiam, quam Peripateticam, veram de natura rerum philosophandi viam non ostenderit. Quod facere potuisset, explicato, quod probabat, systemate corpusculari, si metum exuere, et receptis opinionibus se opponere fuisset ausus. Ita vero dum falsa falsioribus opponit, et vtrumque ancipiti argumentationis genere infirmat, magna incertitudine fluctuantem relinquit Lectoris animum, nescium ad quas partes se vertere debeat. Cui malo vtrum auctoritas ecclesiae, vt ille vult, medeatur, et vtrum talis medicina a philosopho commendari possit, prudenti Lectori expendendum, et quam inde impietas occasionem sumat

facris et naturalibus veritatibus illudendi cogitandum relinquimus. Non-
strum enim non est, de auctoritate ecclesiae in rebus naturalibus et veri-
tatibus religionis naturalis definiendis disputare. Non inuiti itaque fate-
mur, quamuis liber cetera elegans multaque et varia eruditione refertus
atheismi crimine careat, institutum tamen eius, ipsamque tractationis
indolem et rationem eam esse, vt incautis variis nominibus nocere queat.

Vnde ab iis tantum legendus est, qui animum habent sobria phi-
losophiae, eiusque historiae cognitione probe
subactum.

C A P V T VII.

DE RESTAURATIONE PHILOSOPHIAE
STOICAE.

§. I.

*Occasio re-
staurandae
philos. Stoi-
cae.*

Vt Parmenideae et Ionicae sectae ex puluere resuscitandae occasio-
nem dedit physicae Peripateticae exilitas, ita Stoicae sectae re-
nouandae consilium inspirauit, moralis philosophiae, qualis in
Aristotelis schola personuit sterilitas atque leuitas. Ea enim cum ciuili-
um virtutum quarundam umbram modo exhiberet, et nec fatisaceret animo,
nec ad eum emendandum quicquam conferret, apud Stoicos, moralis
disciplinae laude apud veteres inclytos meliores, quibus fatiari mens pos-
sit dapes se deprehensurum ratus est IVSTVS LIPSIVS, magnum
olim inter criticos seculi XVI nomen. Is enim ingenti studio et eleganti,
qua pollebat, eruditione Stoicam ethicam resuscitare conatus est. Quae
cum intelligi sine physiologiae Stoicae explicatione non possit, laudabili
diligentia et praestantissima eruditione eam quoque explicuit. Is cum
elegantem tradiderit, quo scopo ad renouandam philosophiam Stoicam ac-
cesserit, omnino ipse audiendus est ^a. Vbi enim sibi a puero deamatam
fuisse philosophiam dixisset, ita pergit: „Nec id ea via, qua hic philoso-
„phantium vulgus feci, qui in spinis argutiarum aut laqueis quaestionum
„male dediti non aliud quam subtili quodam disceptationum filo texunt
„eas et retexunt. Haerent in verbis aut captiunculis: et aetatem totam
„in aditu philosophiae versantur, adyta enim nunquam vident. Habent
„eam vt oblectamentum, non vt remedium et instrumentum vitae maxi-
„me serium vertunt in ludum quendam nugarum. Quis eorum mihi de
„moribus quaerit? quis affectus temperat? quis timori, quis spei metam
„ponit aut modum? quin adeo ad sapientiam spectare haec non arbitran-
„tur, vt aliud aut nihil agere eos censeant, qui id agunt. Itaque vitam
„eorum, siue iudicia vides, nihil vel in ipso vulgo reperias, quod ad
„illam

^a) Praef. ad librum de Constantia.